

25.

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE
**PRAECIPVIS SIGNIS
MALIGNITATIS
IN FEBRIBVS**

CONSENTIENTE
GRATIOSA FACVLTATE MEDICA
IN REGIA FRIDERICIANA
PRO GRADV DOCTORIS
MORE MAIORVM CONSEQUENDO
DIE XX. SEPTEMBER. CIO ID CC LXIV.
H. L. Q. S.
PVBLICE DISPVTABIT
AVCTOR
IOANNES HENRICVS SEYLER,
HEILBRONNA SVEVVS.

HALAE MAGDEBURGICAE, LITTERIS BEYERIANIS.



55

DISSESTITIO INAGARII MEDICI

DE

PRAECEPIS SIENS
MAGNITATIS
IN EBBRIBAS

GRATIOSA PRACTICATE MEDICI
IN RIGA FINNIGIANA
PRO GRADA DOCTORIS
JOANNES HENRICVS SEYLER
HARICVS DEPLATIAT
ALLEGORIAS
INTERIORUM CLAVARUM
TIALE AVICODERARGVA ETTER SYLVERI

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
 DE
PRAECIPVIS SIGNIS
MALIGNITATIS
IN FEBRIBVS.
Instituti Ratio.

Quum ego primum ad id argumenti genus adiecisem animum, probe quidem perspexi, me perficiendo operi nunquam parem fore, nec mihi omnes illas quas in pertractatione argumenti deprehendi difficultates, quamuis non impraeuisas, superare licitum esse. Nec tamen libuit nutare consilium: sufficiet enim scopo meo, si id impetrauerim, me ostendisse, *dari modum, quo in omni casu praesentiam malignitatis febrilis cognoscere possumus*, et in explicatione huius modi me non omnem perdidisse operam. Dantur autem febres malignae, quae adeo naturam suam dissimulant, ut prorsus speciem benignarum praeseferant. Conqueruntur tunc aegri de nullius symptomatis vehementia, nihilque persentiscunt; vrina et pulsus nil praeter naturale ostendunt. Aeger saepius primum iam septennarium sine periculo emensus

A2 gau-

gaudet idcirco cum adstantibus, et salutarem expe-
ctat solutionem morbi. Accedit dies nonus, et vno
conatu omnia in peiora ruunt; superueniunt conuul-
siones, ipsaque mors. Tunc omnes clamant, et
medicus ipse lethalem euentum stupet, nec ullam ma-
lignantatis cognitionem in hoc morbo excogitari pot-
uisse contendit. Quam maxime autem falluntur ii,
qui ita concludunt, vel ad omnem morbum malignum
desiderant concursum grauissimorum symptomatum,
cum saepissime vnum eorum sufficiat ad malignitatis
cognitionem. Grauissimos auctoritate viros hic a
parte nostra habemus. Sic celeberr. CHICOYNEAV
(*Relation de la peste de Marseille.* p. 8.) refert, pluri-
mos se aegros vidisse peste adfectos, in quibus ta-
men primis diebus vulgaria febrium malignarum
symptomata plane non aderant, ita ut de nulla re, nisi
de lassitudine conquererentur, et simul animus eorum
ita erat deiectus, ut omnem statim salutis spem plane
perderent. I. c. p. II. memoratu digna haec exstant ver-
ba: „Nous pourrions bien encore admettre une sixie-
„me classe de ceux, que nous avons vu perir, sans
„presque aucun avantcourage, ou autre lesion mani-
„feste, qu'un simple abattement de forces, et qui in-
„terrogé sur leur état, repondirent, qu'ils ne sen-
„toient aucun mal, ce qui marquoit pour l'ordinaire
„un cas desespere et une mort prochaine.“ Cuius rei
iam vltiorem suscipiemus expositionem talia traden-
do signa, quorum singulorum certissima fides sit ad
cognoscendam malignitatem.

§. I.

§. I.

Fluida nostra natura sua in dissolutionem tendunt.

Sanguis, latex ille vitalis, ex quo aeqne magna incommoda, quam emolumenta in C. N. redundant, primo quidem intuitu conspectus exhibet fluidum in totum sibi aequale apparen: sed mutatur hic aspectus celerime, si illum per aliquod tempus extra corpus missum sollicite contempletur. In varias enim citissime discedit partes, quarum aliae grauitate sua inferiora pertunt, alia supernant, alia prorsus avolant. Naturalis quoque sanguinis color simul mutatur, cum aliae partes magis flauam, aliae nigricantem ostendant colorem. Satis quidem exinde iam patet, fluidum hoc diuersis conflatum esse partibus: sed longe euidentior adhuc redditur haec diuersitas, si chemicis subiiciamus hunc liquorem examinibus. Deguntur enim tunc omnia fere elementa globi nostri terrauei in sanguine. Inueniuntur diuersa salia, terrae, aqua, oleum, aer, quin metalla in eodem. Quae corpora quidem omnia iuncta inter se cohaerent: ob diuersam plane eorum naturam autem, qua se inuicem respuant, leuissimam tantum admittunt cohesionem, ita vt a leui quadam accidente causa dissolutione eorum facilime impetrari possit. Accedit hisce omnibus ipsa continua resolutio sanguinis per motum illius tum progressiuum, tum intestinum. Fit inde, vt sanguinis globuli crebrius lateribus vasorum appulsi, sepiusque repercussi atterantur, & in minores dissiliant, atque sic resoluantur. Ex hoc non interrupto sanguinis motu & eiusdem resolutione fit, vt continuo in eodem tum generetur, tum liberetur sal volatile, quod tamen per insensibilem transpirationem rursus ex C. eliminatur.

§. II.

Sanguis dissolutione potest a putrido.

Alia autem, eaque longe vehementior est resolutio, quae perficitur in C. N. ab accidente putrido. Omnim enim partium corporis nostri

com-

commune vitium, eaque tristissima fors est, vt praecipuum putredinis subiectum constituant. Euicerunt nempe Chemici, putredinis effectus potissimum dependere ab actione salis volatilis alcalici, quod vim peculiarem exercet in corpora sulphurea atque oleosa, lubentissime cum illis cohaerendo, eaque corrodendo & dissoluendo. Satis vero superque constat, corpus nostrum, sanguinem paeprimis, aliaque fluida quam plurimis reserta esse partibus oleosis. Quid inde mirum, putrida in C. N. delata, tam diras in illo edere strages; quum actio eorum per continuum motum atque calorem sanguinis summopere adaugeatur. Quum vero haec resolutio sanguinis ex putrido tanta sit, vt natura sanguinis prorsus immutetur, nec ille pristinus gaudeat virtutibus: nomine *dissolutionis* commode insignienda erit; dissolutionem enim corporis tunc adesse arguimus, si resolutio eius tanta fuerit, vt non solum pristinam naturam, sed et virtutes suas perdiderit.

Tradita nunc possibilitate dissolutionis humorum nostrorum a putrido ostendere licebit, illud re vera in febribus malignis hos edere effectus; si prius expositum fuerit, quaenam hae febres sint, et quomodo corpus nostrum afficiant.

§. III.

Quaenam febres ad malignas referantur.

In generaliori illa diuisione omnium, quae in Pathologia occurunt, febrium singulare constituunt genus illae febres, quas sub nomine continuorum comprehendimus. Sunt vero illae tales febres, quae continuo quidem, sed non aequali vehementia afficiunt aegrum. Quodsi harum febrium ea indoles fuerit et natura, vt cito et cum periculo currant: tunc nomine acutarum insigniuntur. Perplures autem huius indolis esse solent morbi, febres nimirum permultae exanthematicae, quales sunt purpurae, variolae et morbilli, petechiae, ipsaque pestis. Quae omnes febres diversimode quidem inter se differunt: in eo autem omnes conueniunt, quod miasma

miasma requirant febrile. Pestimae indolis sunt illae, quae grauitate symptomatum aegrotantem in vitae periculum deiiciunt, et miasma putridum pro causa agnoscunt. Quam ob rem celeberrimi medici iam a multis retro saeculis his febribus nomen *malignarum* imposuerunt. Pater exinde, has febres ad febres continuas acutas referri.

§. IV.

Historia febrium malignarum.

Fidarum observationum beneficio constat, has febres sequentem in modum afficere aegros: Inuasio illorum varia est; interdum enim vix percipiendo modo subrepunt, alio autem tempore tam cito ac vehementer opprimunt aegrum, ut paucis horis cum grauissimis symptomatibus iam adsit morbus. Plerumque vero cum lassitudine ac torpore corporis incidunt, ac per aliquot dies cum prostratione vitium sic afflictum tenent aegrotantem, vbi simul saepius intercurrere solent lipothymiae, haemorrhagiae, anxietates praecordiorum, vel temulenta affectio capitis. Diuersimode quoque se haber accedens tunc horripilatio et subsequens calor, cum in hoc subiecto vix percipi possint, in aliud autem grauissime incident. Puluis tunc plerumque parvus iam fit ac debilis, et aspectus aegrorum adeo mutatur, ut saepius vix pristinum referant hominem. Augetur simul prostratio virium, et aegri saepissime de nulla alia re, quam de insigni lassitudine conqueruntur. Somnus quoque fit praeternaturalis, cum vel interruptus sit, vel plane cesseret, vel grauiter confopiat aegros. Sensus interni et externi saepissime vehementer labefactantur vacillante praeprimis memoria, ita ut vix peracta in mentem reuocare queant. Deliria fere in omnibus adsunt. Augentur sic symptoma, vsque dum quarto vel subsequentibus diebus prodeant exanthemata, quae febri nomen dant, plurimumque ad solutionem morbi conferunt vel salutarem vel minus laudabilem

lem ac funestam. Praeprimis autem haec febres ad progignendas inflammaciones quam maxime pronae obseruantur; faciles enim admodum sunt aphthae, phrenitides ac paraphrenitides, aliaeque inflammations internae; facilis quoque gangraena et sphacelus.

Tradita iam historia febrium malignarum inuabit in causam inquirere tantorum malorum, quam cum in §. I. posuerimus in dissolutione m. h. ex miasmate putrido: ostendendum nobis erit, talem dissolutionem in F. M. locum habere, illudque ad tantos effectus sufficere; si prius expositum fuerit, quomodo hoc putridum in C. N. deferri possit,

§. V.

Putridum in febribus malignis adest.

Diuersi dantur modi, quibus putridum hoc ad massam humorum pervenire posuit. Dictum iam fuit in §. I., per continuam resolutionem sanguinis in illo generari et euolui sal alcali volatile. Ponamus iam, excretionem huius salis vel prorsus suppressam fuisse, vel ex vehementiori aliquo motu ac aestu oleosas sanguinis partes valdopere exaltatas, maioremque huius salis euolutam fuisse copiam, vel ex alio vitio humorum vel diaetae hoc accidisse: necessario tunc eosdem, quos putridum in C. N. exseret effectus. Hinc patet, in corpore nostro ipso generari posse miasma putridum. Alius vero, isque solennior modus est ille, quo putridum hoc ab externis locis in C. defertur. Facillime enim hoc contingit vel per resorptionem putridi per vasa bibula ex atmosphaera, quae saepius plurimis referta est salinis alcalicis volatilisatis corpusculis ex corruptione putredinosa vegetabilium et animalium oriundis; vel putridum hoc per cibos eodem infectos ad C. transfertur, vbi saliuae chyloque immiscetur; vel per ipsum contactum cum aegris tali miasmate iam infectis hoc fieri potest. Quod vero in f. malignis re vera tale putridum adsit, tali modo comprobamus: Si plura et primaria signa putredinis adfunt, seculo ad praesentiam putridi con-

clu-

hinc securo ad praefentiam putridi in illis concludere possumus. Pertinent vero ad primaria putredinis signa resolutio intima corporum, maiorque eorundem calor, dein mutatio coloris, et euolutio materiae alcalicae volatilis; hinc sapor foetorque putridus, nec non vis alia corpora eodem modo inficiendi. Haec omnia facili opera in febribus malignis obseruantur; sanguis enim appetat maxime resolutus, putridusque et luridus; notatur in aegro fortior calor; euoluitur miasma per exanthemata, quae ad corpus sanum delata eundem excitant morbum. Ex quibus omnibus certissime ad praefentiam putridi concludere licet. Sed aequi certi reddimur de veritate huius rei, si instituamus illud experimentum, quod describitur in b. L V D O L F F I *Diss. inaug. de impedimentis circa solutionem in febribus malignis maxime salutarem obuirs in Fridericiana nostra anno 1758 ventilata.* Licuit auctori laudato duce Praeceptore suo et meo quam maxime colendo Celeb. D NIETZKI ante strata aegrotorum putridum hoc sequenti modo detegere: Admouerunt nempe exhalationibus aegri febre maligna decumbentis acidum vitrioli volatile, et non solum leuem effervescentiam, sed et erumpentem videbunt vaporem; ex quibus dein iuxta principia chemica certissima conclusio ad praefentiam alcali volatilis fluxit. Tandem veritatem nostri asserti plura adhuc comprobant; cita nempe putrefactio febre maligna de mortuorum, qua per paucis horis in tetram ruunt putredinem; nec non egregium iuuamen in hisce morbis ex acidis. Quod vero naturam huius miasmatis attinet, certissimum est, illud quam maxime subtile atque volatile esse, paruaque mole efficacissimum, cum non tantum in minima superficie et quantitate per contactum exceptum facilime vterius serpat, sed et citissime minutissima peruestiget vasra, violentiamque suam in corpus exerceat. Nulli tamen negamus, miasma hoc saepius quam maxime differre, et nunc magis, nunc minus putridum esse, prout ab accendentibus oleosis modificatur et obuoluitur. Hoc tamen certissimum est, illud semper putridae indolis esse, atque in dissolutionem putredinosam, humorum tendere.

§. VI.

Effectus putridi in corpore et febre maligna.

Euicta iam veritate illius propositionis, quod putridum adsit in febribus malignis, ostendendum nunc erit, illud sufficere ad omnia illa in §. IV. enarrata symptomata. Facile autem hoc fieri potest, postquam §. VII. probatum fuerit, putridorum vim in C. N. in eo praeprimis versari, ut corpora oleosa dissoluat. Quamprimum enim miasma hoc in sanguinem delatum oleosas illius partes, cum quibus lubentissime cohaeret, aggregatum fuerit: corrodentur illae, & liberabitur phlogiston in illis cootentum. Stimulum simul doloremque ex acrimonia miasmatis percipientia vas a fortiori suscipient actionem atque contractionem. Vehemens inde accenderur febris, circulusque sanguinis maxime adauctus. Exaltantur sic salia volatilia magis magisque, & per addita oleosa longe adhuc acriora redduntur. Funditur hinc tota massa humorum, & ex blando fluido fit acre, foetensque corpus. Salia acria ob accessum nouarum partium eis assimilatarum quantitate sua adaucta omnes pervestigant corporis recessus, & minutissima penetrant vas, omnia fluida contaminant, tenuissimas & delibatisimas sanguinis partes inficiunt & corrodendo destruunt, optimamque sic perdunt sanguinis partem. Lympham praeprimis violentiam miasmatis experiri, necesse est ob summam vasorum lymphaticorum praecipue in cerebro angustiam, quae idcirco miasma difficilius transmittentia diutius ab eo vexabuntur. Omnes quoque, quotquot ex lymphatica progenie in corpore adsum fluida, eandem experiantur fortem oportere, quorum princeps, fluidum nempe neruum singulariter ab hoc affici miasmate, inferius ex § XII. patebit. Sanguis maxime resolutus & rarefactus vas extendit & arrodit; hinc dolores & tensiones dolorificae, facilesque haemorrhagiae. Quamvis autem sanguis maxime resolutus sit: ope continui caloris, aestus, atque sudoris tamen efficitur, ut fluidiores illius partes dissipentur, reliqua animi massæ tandem insipissetur, coaguletur, atque in grumos abeat aptissimos ad obstructiones & inflammationes procreandas. Quibus accedit vis cordis

cordis & vasorum labefactata, hinc contractio illorum imminuta, vnde sit, vt sanguis in uno loco accumuletur & in grumos abeat, in altero vero maxime dissolutus sit. Solida exinde quoque grauissime ab hoc miasmate afficiuntur, quia ob depravatam lympham nutrimentum illis detrahitur, illaque ipsa a putrido conuelluntur, arroduntur, & ab omni robore deiciuntur. Ex vniuersali hoc omnium partium vitio secus euenire nequit, quam vt omnes actiones tam voluntariae, quam inuoluntariae corporis tandem immutentur atque turbentur, vel prorsus suspendantur. Nulla hinc secrecio ob fluida naturali sua, blandaque temperie destituta rite perfici potest; hinc nulla nutritio, nullum corporis robur, nulla vis eiusdem. Sic miserum corpus vitam sortitur, vbi fere nulla amplius vita, saltim minima adest, sed vbi mors ipsa iam praesens videtur, certo viuum cadauer. Ex quibus omnibus conficitur, putridum esse caussam sufficientem malignitatis.

§. VII.

Caussa diuersitatis symptomatum in febribus malignis.

Operae pretium videtur caussam inquisuisse, quare in his febribus tam diuersa saepius in conspectum prodeant symptomata, ita, vt in hoc morbo prorsus alia eorum facies appareat, quam in altero, quomodo id ex §. IV. patet. Omnis autem huius diuersitatis caussa vel in miasmate ipso, vel in corpore nostro posita esse debet. Miasma hoc secundum §. V. in febribus malignis diuersum esse potest natura sua & acrimonia. Fieri quoque potest, vt in uno aegro maior eiusdem copia peccet, quam in alio. Quae diuersitas symptomatum diuersum quoque edat in corpore nostro effectum, necesse est. Sed aequa diuersi effectus huius miasmatis proficiunt debent ex varia constitutione corporum eo infectorum. Constat nimurum, quemuis hominem singulari gaudere fluidorum & solidorum constitutione. Dantur enim homines, quorum massa humorum multis terreis & paucioribus fluidis partibus referta est. Dantur alii, vbi oleosa praedominantur, vel contraria locum obtinent; alii magis firma & arcta fibrarum compage utuntur; aliis autem tenera vel laxius cohaerens fibra constituit corpus. Quin

nerui ipsi in quo quis homine, prouti filamenta eorum varie tensa & disposita sunt, nec non fluidum in illis contentum, differre videntur; quod per singularem cuius homini idiosyncrasiam vterius comprobatur. Fieri quoque potest, ut una vel altera pars in corpore nostro prae reliquis maiore debilitate laboret, & hinc ad decubitum humorum ansam det. Quo in casu illud contingere oporteret, quod *GALENVS* iam in febribus malignis obseruavit, *materiam nempe febrilem quandoque irrepisse ad stomachum, unde vomitus, quandoque ad intestina, unde alii fluor; imo aliquando ad inguina descendisse, ubi bubones: aliquando ad cerebrum iussisse, & fecisse putridos lethargos, commata, melancholicam; petuisse aliquando cor, & successisse syncopes, interdum genitos fuisse subitos hydropum status.* Quae omnia ob relativam partium quarundam debilitatem orta fuisse contendimus. Fieri quoque potest, ut regimen atque diaeta aegrorum, nec non caussae aliae externae ad corpus admissae varias in illo excitent mutationes, quae vim miasmatis diuersimode adaugere vel imminuere possunt. Quae omnia hinc diuersos putridi in corpore effectus determinent, necesse est. Quum vero symptomata nihil sint, quam effectus caussae morbifcae in morbo conspicui: hinc quoque de symptomate valebit, quicquid de effectibus putridi miasmatis euicimus; eos nempe maxime diuersos esse. Erunt adeoque symptomata diuersa.

§. VIII.

Caussa dissimulationis febrium malignarum.

Proprium id habent atque singulare quaedam malignae febres, ut faepissime naturam suam prorsus dissimulent, & insidiosò plane modo trucent aegrum. Speciem tunc febris maxime benignae prae se ferunt, lenissimeque affectum tenent aegrum, vsque dum instante die decretorio, vel iam antea totam subito invertant scenam, atque in illam agmen grauisimorum symptomatum, quin ipsam producant mortem. Plurimi nostra interest, caussam tam fraudulentae dissimulationis cognouisse. Nulli vero dubitamus primariam huius symptomatis caussam in ipsum corpus nostrum

strum reicere. Ponamus enim, quod saepissime sit, miasma putridum in corpus peruenisse, in quo pradominantur oleosae partes terreaeque: Necesario tunc miasma difficillime violentiam suam exercere poterit. Obvoluerit enim a copia oleosarum partium, & adhaerendo terreis sanguinis partibus obtundentur acumina illius, & sic actio eius maxime infringetur. Retardabunt igitur caussae hae praedisponentes actuitatem putridi per aliquod tempus; sed impedire tamen nequeunt, ne putridum hoc interim adinstar fermenti, & modo plane nobis incognito massam humorum permutteret, & plures illius partes in consortium traectas sibi assimilaret, & tunc demum grauissimis edendis stragibus par reddatur. Cui forsitan humorum constitutio ni tribui debet, quod homines sint, qui medii inter petechias atque peste laborantes ab omni infectione liberi permanent, mortemque ex his morbis ipsam ridere tunc possunt. Fieri quoque potest, ut miasma putridum huius dissimulationis ergo accusari debeat, quando illud in parua tantum quantitate ad corpus delatum fuit, nec adeo volatilis indolis est. Quo in casu minorem tantum in corpore exercere poterit violentiam, usque dum vel ex virtio diaetae, vel interuentu largioris miasmatis in actione sua inualeat. Solennissimam autem huius dissimulationis caussam in eo positam esse contendimus, quod medici rarius omnem adhibeant diligentiam ad cognoscendum malum. Nihil enim miasmati putrido solennius est, quam ut, quam primum in corpus peruererit, citissime illud totum peruestiget, ipsosque adeat neruos eorumque liquidum, quod adeo tunc permutat, ut pristinis vix gandeat virtutibus, aegrumque saepius fere insensibilem reddat. Percepit hinc ille nulla, quamvis grauissima intus sint mala, vel illa, cum nulla adsint symptomata ob defectum virium ad producenda vehementiora symptomata necessariorum, percipere non potest. Nullum enim tunc praeter debitatem maximam adeat symptoma, quam tamen ob insensibilitatem suam sentire nequit. Decipitur sic saepissime medicus & aeger, qui prorsus se liberum interdum a morbo praedicat, usque dum accedens postea conuulsio vel aliud grauius symptoma medicum errasse ostendat.

Dissertatio inauguralis medica

Exposita sic cauſa primaria malignitatis & ratione diuersorum eiusdem effectuum proprius iam ad scopum nostrum appropinquare licebit, vt nempe certa tradamus malignitatis signa. Commodo autem id fiet, si prius euolutum fuerit, quid signum sit, quid cognoscere.

§. IX.

Quid cognoscere, quid signum sit.

Cognoscere dicimus rem, quando illam ab aliis distinguimus, eandemque nobis repreſentamus. Peruenimus autem ſemper ad talem cognitionem ope certorum mediorum, quae, fi exinde alterius rei existentiam cognoscimus, *signa* audiunt. Cognoscimus autem ope illorum vel existentiam rei praefentis, & tunc *signa demonstrativa* vel *diagnosatica* audiunt, vel existentiam rerum praeteritarum, vbi *mnenomēca* vel *anamnētica* nuncupantur, vel futurorum existentiam cōprobant, vbi *prognosistica* audiunt. Omnia haec signa vel ita comparata ſunt, vt exinde vel plenarie conſciamus veritatis existentiae rei; & tunc nomen *signi certi* adipiſcuntur; vel minus, vbi *incerta* dicuntur. Signa haec porro vel talia ſunt, vt rationem ſufficientem existentiae rei contineant, tunc signa ſunt *sufficientia*; vel non, tunc *inſufficientia* nominantur. Denique haec signa vel ita comparata ſunt, vt poſito signo signatum abeſſe nequeat, tunc *necessaria* vocantur; vel non, vbi *contingentia* appellantur. Ea autem signa, quae rationem ſufficientem existentiae rei continent, nec non illa, quibus poſitis res ipſa abeſſe nequit, plenarie nos conſcios faciunt veritatis existentiae signati; hinc haec signa ſunt signa certa per definitionem. Erunt ergo signa necessaria & ſufficientia signa certa per def. corund.

§. X.

Quodnam signum fit signum certum malignitatis.

Posita cauſa efficiente ſufficiente morbi, ponitur morbus per principia pathol.; hinc poſito signo cauſae efficientis ſufficientis morbi, ponitur signum ipſius morbi. Euicimus in §§ V. et VI., putridum in febribus esse cauſam efficientem ſufficientem malignitatis: hinc poſito signo putridi in

in febribus, ponitur signum malignitatis: Ergo signum malignitatis erit illud, ex quo cognoscitur praefentia putridi in febribus. Praesente putrido in febribus, malignitas abesse nequit per antec.; hinc signum putridi erit signum necessarium malignitatis. Putridum quoque in febribus malignis rationem sufficientem malignitatis in se continet: signum ergo illius erit quoque signum sufficiens malignitatis. Erunt quoque etiam haec signa signa certa malignitatis per §. ant.

Eruenda nobis nunc erunt haec signa, ex quibus praesentiam putridi vel per sensus vel ope ratiocinii cognoscere possimus. Iuuabit ergo primaria quaedam febrium malignarum symptomata curatius perpendere, corumque sufficientiam vel insufficientiam ad cognoscendam praesentiam putridi exponere. Priusquam vero hoc fiat, monendi sunt adhuc letores, ut in quavis tali consideratione singulorum symptomatum probe perpendant, nos semper supponere, adesse febrem continuam, cuius natura cognosci debeat. Hinc signa febrium malignarum diagnostica tantum eruere conabimur.

§. XI.

Quid de debilitate et prostratione virium censendum sit.

Nullus fere in Pathologia occurrit morbus, quamvis leuissimus sit, in quo non aliqua notetur prostratio virium. Agimus vero hic de debilitate & prostratione virium, qualis in febribus continua interdum adesse solet, vniuersali, summa, vel quae subito oppressit aegrum, illumque per totum morbi decursum grauiter sic afflictum tenet. Tanta enim huius symptomatis in hisce morbis violencia esse solet, ut aegros ab omni robore membrorum deiciat ita, ut corpus vix mouere, neque erecti in lecto sedere possint. Operae pretium erit in caussam tam diri symptomatis curatius inquirere, ut inde appareat, quantum ad cognoscendam malignitatem possit. Caussa debilitatis vniuersalis vel posita est in labefactatione roboris naturalis, vel vitalis, vel in vtraque simul. Vid. Cel. EBERHARDI *praeceptoris mei aeternum colendi Confsp. Med. theoret. pars I. p. 129.* Nulli dubitamus, quin robur tam

ram naturale, quam vitale in hoc casu labefactatum sit; cum prostratio vi-
rium summa & caussae ad desideratum effectum sufficientis praesentia id
concludere iubeat. Dispiciendum erit idcirco, a quanam caussa haec im-
minutio roboris pendeat. Quod *primo* ad labefactandum robur naturale
pertinet, perfici hoc potest ex immunita cohaesione fibrarum, quod fit vel
nimia copia, vel *fluiditate nimia glutinis* elementa fibrarum interceden-
tis, vnde particulae terrestres fibrarum vel nimis a se recedunt, vel non fa-
tis cohaerent. Glutinis copiam in febribus hisce accusare nequimus; nulla
enim excogitari potest caussa huic effectui sufficiens: hinc fluiditas glutinis
peccet, necesse est, & quidem quam maxime vi peccet, requiritur. Sum-
ma talis fluiditas tam cito, ut prostratio virium accidere solet, aliunde deri-
uari nequit, nisi assumas summam citamque resolutionem humorum, & haec
rursus a nulla alia caussa quam a miasmate putrido perfici potest. Ha-
bes igitur signum sufficiens putridi, hinc signum necessarium certumque
malignitatis per §. X. Supereft nunc, vt caussam immuniti roboris vitalis
euoluamus. Omnis autem huius roboris immunitio pendet vel ab *immuta-*
natura fluidi nerui, vel *a minori illitus influxu in nervos musculosque*,
qui vela *depravatione lymphae* ad huiusliquidi secretionem semper necessa-
ria pendet, vel a *praeternaturali constitutione sanguinis*, vel spissitudine sua
vel acrimonia vel defectu peccantis. Spissitudinem vel defectum sanguinis in
hisce febribus nunquam deprehendimus: hinc corruptioni sanguinis & lym-
phae locus concedendus erit, quae acrimonia sua peccent. Nullum vero
cognoscimus miasma, quod tam potentem citamque in his fluidis procrea-
re possit corruptionem, qualis in his febribus deprehendimus, nisi assu-
mas putridum. Erit adeoque & ex hac caussa considerata debilitas signum
sufficiens putridi, hinc malignitatis per §. X. Vna adhuc, quam considere-
mus, restat debilitatis caussa, ea nempe, quae ex immunita natura fluidi
nerui oritur. Qua ratione vero haec permutatio in hoc fluido tam tenero
atque subtili fiat, id ex §. seq. patebit.

Qua ratione fluidum nerueum in febribus malignis alteretur.

Notum est satis superque, fluidum nerueum ad instar omnium fluidorum subtiliorum elasticitate gaudere, & supersedeo evidentissimis omnibus illis argumentis, quae maximam subtilitatem huius liquidi euincunt. Sufficit, haec argumenta ex certissimis fluere principiis tum ex anatomia, tum ex certissimis ratiociniis petitis, quae maximam subtilitatem huius fluidi suadent. Constat vero ex Physicis, fluida, quo subtiliora sint, eo magis elastica esse, & causam elasticitatis horum fluidorum potissimum consistere in illa vi, qua particulae illorum elementares a se inuicem repelluntur. Imminui hinc debet haec elasticitas per omnia illa, quae repulsioni huic obstant. Quod fieri potest vel per interpositionem aliarum particularum maxime subtilium inter has partes elementares, vel per contactum earum inter se procreatū. *Vid. hac de re III. EBERHARDI Diff. de actione narcot. in fluidum nerv. Halae ventilatae §. XIX & XX.* HALESIUS certorum fide experimentorum euicit, in aere impetrari posse imminutionem elasticitatis ope humorum sulphureorum, partiumque salinarum acidarum subtiliorum, quod quoque in fluido nerueo locum habere posse, exinde probari videtur, quia ex vaporibus acidis quorundam fossiliis & vegetabilium, vti carbonum accensorum vinique fermentantis, saepissime homines citissimam oppetiere mortem. Concludimus vero ex recentissimo HALESIU^m cum aere experimento, quodsi partes acidae aeris demere possint elasticitatem, partes alcalinas maxime volatiles idem in fluido nerueo efficer posse. Elasticitas enim fluidi neruei nil singulare habet, sed vti elasticitas aeris, reliquumque fluidorum subtilium eandem agnoscit naturam, eisdemque obnoxia est mutationibus. Partes vero alcaliae volatiles, quamvis natura sua quam maxime ab acidis different; in hoc tamen cum illis conueniunt, quod aequa magna gaudeant subtilitate, quin sine dubio adhuc maiori; hinc eundem effectum praestare debent, quum omnia hic in subtilitate maiori posita sint. Imminuent igitur hi sales volatiles, quorum praeſentiam hic supponere adhuc licet, elasticitatem fluidi neruei, dum per vasa lymphatica transgressi ipsos permeant neruos cerebrumque, & interpositione sua inter partes fluidi neruei, ideoque oriundo contactu repulsionem partium eius elementarium impedit, & sic naturam fluidi huius permutabunt. Quot vero, quantique effectus in corpore nostro ex imminuta huius fluidi elasticitate pendeant, exinde iam satis patet, quod vis acceptum tremulum motum propagandi, qui tamen ad omnem sensationem, motumque voluntarium producendum requiritur, cum hac amissa elasticitate simul perdatur. Hinc non sensations solum, sed motus voluntarii omnes exinde imminuantur,

tur, summaque oriatur debilitas, necesse est. Quod vero hi effectus a praesentia falsi putridi profiscantur, ex hoc ipso §. probamus, cum nulum, nisi sal volatile, vel acidum sit, vel alcali, eosdem producere possit effectus, praesentia vero acidi volatilis nullo modo probari possit; hinc ad praesentiam alcali volatilis, hinc putridi, hinc malignitatis concludere licitum sit.

§. XIII.

Quid de reliquis effectibus debilitatis sentiendum.

Plurima sunt, eaque grauiissima symptomata, quae ex debilitate proueniunt, quorum primaria sunt pulsus parvus, debilis, celer, inaequalis & intermittens, priuationes sensuum, tum internorum, tum externorum, insensibilitas & taciturnitas aegri, animus deiectus, cibi potusque nulla cuperdo, lipothymiae, anxieties praecordiorum, aliaque plura. Nec dubitamus a debilitate hac deriuare tria illa leuissima, sed simul grauissima symptomata, quae GALENVS in his febribus interdum obseruauit, quae sunt 1) similitudo pulsus cum naturali 2) vrina similis vrinæ sanorum 3) absentia febris, sed aliud grauius symptoma comes, quod debilitas esse solet. Ulteriorem huius asserti probationem in §. subseq. dabimus. Haec symptomata omnia, quae recensuimus, ex immunito robore naturali vel vitali dependent; erunt igitur, si in eminenti quadam gradu adsint, signum suff. debilitatis, & hinc de illis omnia valebunt, quae §phis ant. de debilitate virium euicta sunt, ea nimirum ad signa certa malignitatis pertinere. Qua in re celeberrimos in arte nostra viros consentientes habemus, qui ex maiori vel minori virium debilitate naturam atque euentum febrium malignarum diuinant, grauitatemque morbi diudicant. Sic diuus HIPPOCRATES eo plus in his febribus manere spei firmae, affirmat, quo magis vires in illis persant. Cel. MORTONVS semper bene sperare iubet, licet prava appareant symptomata, si modo pulsus robustus & aequalis sit, & contra, si valde celer, inaequalis, debilis atque vacillans, licet reliqua symptomata salutem promittant. Certe hoc symptomata in omnibus febribus singulariter meretur attentionem, tum quia nunquam naturam morbi diffimulat, sed grauitatem illius semper grauitate sua indicat; tum quia in omnibus adesse debet febribus malignis, non quidem semper in initio, sed tamen sub statu illorum, quamuis ob insensibilitatem aegrorum, quae plerumque cum debilitate concurrit, saepius abesse videatur, quo in casu autem facile per interrogationem medici, nec non situ mortuque aegri, potissimum ex pulsu, & an absque metu lipothymiae aegri erecti federe posint, aliisque debilitatis signis detegi poterit. Ex quibus omnibus sufficienter patebit, debilitatem virium plurimum ad cognoscendam malignitatem valere.

§. XIV.

§. XIV.

Quid ex aestu colligi possit.

Aestus in hisce febribus vel maxime excedit, vel tam leniter affligit aegros, ut vix percipi possit. Excedens maxime aestus semper requirit vehementem & diuturnam euolutionem phlogisti & sanguine, quae euolutio ex fortiori resolutione oleofarum sanguinis partium proficiscitur. Talis autem maxima resolutio tam cito & vehementer perfici nequit, nisi assumas fortissimum resoluens, quod nullum aliud, nisi putridum esse potest. Quam ob rem sufficiens signum habemus putridi, adeoque signum certum malignitatis. Quamvis enim in multis aliis acutis & inflammatoriis morbis non malignis satis vehemens notetur aestus; ille tamen non tam excedentis gradus est, quam hic possumus. Hinc immortalis BOERHAVIVS omnem febrem, quo magis calidam, eo magis putridam esse contendit; alio autem loco calorem putrefacere dicit, putredinem ex se factam non calefacere. Vid. eius aphorismi de cogn. & cur. morbis §. 698. Rarius autem in hisce febribus tam excedens adest aestus, ut potius plerumque tam exiguis sit, qualis in leuioribus esse solet morbis; quamvis grauissima adsit malignitas. Elegantem huius symptomatis expositionem dedit Cel. EBERHARDVS fautor ac praeceptor meus nunquam satis colendus in Medic. theoret. part. II. pag. 56. in Schol., vbi huius minoris caloris hanc exponit causam: *Calor in corpore nostro dependet tum a motu progressu sanguinis, tum ab actione salium in oleosas sanguinis partes: Augetur calor aucto motu sanguinis, vel actione salium aucta. Si vero actio salium augetur, simul autem sanguinis motus propter imminutas vires cordis minuantur, calor sanguinis id ex una parte decedit, quod ex altera accesserat: hinc naturali fere manebit similis.* Facile patebit, in nostro casu ea, quae hic adducta sunt, valere. Adebet copia salium volatilium; liberatur ab eis multum phlogisti, sed labefactatum est totum corpus, praeprimis systema neruosum: hinc cordi vasisque necessariae ad propellendum sanguinem deficiunt vires; unde circulus sanguinis languescit, nec magnus oriri potest calor. Causa haec simul illa, quorum in §. ant. mentionem fecimus, producit symptomata, vbi nempe in grauissima malignitate pulsuum, caloris & urinae similitudo cum sanis adebet. Oriuntur enim haec omnia a circuito sanguinis minori, quam in aliis febribus esse solet, & ob maiorem debilitatem. Ex eadem quoque causa factum esse credimus, vt nonnulli pestem adeo sine febre obseruauerint. Vid. non solum supra laudatus CHICOVNE AVIC, sed & QVERGETANVS libro de peste p. 50, qui nulla inquit in quibusdam peste laborantibus febrilis caloris indicia neque in pulsu, neque in urina apparent. Quod & VALERIOLA in peste Gallica anno



1534. se obseruasse adfirmat. Hinc saepissime ex leuitate horum symptomatum decipiuntur medici. Sed facillime fraus patet, si alia concurrentia symptomata simul considerentur, quae tunc grauissima esse solent. Quamvis autem certissimum sit, calorem hunc moderatiorem dependere a debilitate virium in febribus malignis: ad illa tamen referri nequit signa, quae sufficientem malignitatis notam praebant. Ponas enim, adesse typum febris continuae, in eaque nihil praeter moderatum obseruari posse aestum: quam maxime peccabis, si exinde ad presentiam miasmatis putridi concludere velis; innumeræ enim aliae quam maxime benignæ febres eodem modo incedunt. Sed valebit haec conclusio, si magnam simul deprehendes debilitatem virium. Concludimus igitur, aestum quam maxime excedentem signum certum malignitatis esse, neutquam vero moderatiorem calorem solum.

§. XV.

Quid sudores ad indicandam malignitatem possint.

Sudores in febribus acutis diuersimode se habent: Plerumque enim horis matutinis lenis erumpere solet sudor, ex quo autem plane nil singulare appetit. Saepius vero contingit, praeprimis in initio harum febrium, ut sudores in tam eminenti gradu ad sint, ut fere soli morbum constituere videantur; cum aegri per aliquot dies continuo sudent, & fere toti in sudores difficiantur; vel non adeo excedunt quidem, sed tamen assiduus nimis sunt. Dignum erit hoc symptoma, in quod inquiramus, ut apparere, quamnam malignitatis notam praebat. Si omnes eas, quae sudores prolicere possunt, sedulo contemplemur causas: nullam deprehendemus, quae tam excedentem procreare possit sudorem, qualem descripsimus, nisi assumatur vel maximus calor sanguinis, vel nimia debilitas, vel maxime adacta resolutio sanguinis; quae foliae caussæ tanto effectui pares sunt. Concludimus autem per §. ant. & XIII., quod si excedens aestus vel maxima debilitas caussæ sudorum sunt, quod signum tunc adsit sufficiens putridi, hinc malignitatis. Caussæ enim haec, quando tam excedentes sudores prolicere debent, in eminenti quoque gradu adesse debent: quidcunque enim de effectibus valer, valet quoque de causis eorum. Quod autem resolutionem attinet, quae adhuc tantos sudores procreare potest; illa quoque vehementissima sit, oportet. Tam vehementer autem resolutio humorum tam cito & potenter, ut in nostro casu sit, perfici nequit, nisi assumatur putridum. Hinc & ex hac caussa oriundi sudores sufficiens putridi, adeoque malignitatis praebebunt signum per §. X. Sudores igitur omnes vehementiores, tum auctiori calore orti, tum in casu fluiditatis & debilitatis nimiae, signum erunt certum malignitatis. Idem, quod hic euicimus, valebit quoque de talibus.

talibus sudoribus, quos nonnulli in febribus acutis obseruarunt, purpureis adinstar sanguinis. Promanarunt enim illi ex nullo alio fonte, quam sanguine adeo resoluto, ut globuli rubri ita dissoluti fuerint, ut arterias feras, ductusque excretorios eorum permeare potuerint, et tam sanguinolentum produixerint sudorem. Grauissimum autem tam excedentes sudores constitutere symptoma, exinde probatur, quod sub omni grauiore sudore lymphae fluidique neruei pars dissipetur et pessundetur. Exhauiriuntur inde adhuc magis magisque vires ad morbum sustinendum necessariae, morbusque continuo ingrauescit; fluidae sanguinis partes perduntur, reliqua massa densatur, et in concrementa abit, quae vasa obstruendo pessimi generis excitant inflammations. Ob defectum fluidorum salia quoque in humoribus acriora redduntur, magisque concentrantur, cum non amplius diluta sint. Difficillima hinc crisi, pessimusque euentus.

§. XVI.

Quid ex inflammationibus iudicandum.

Inflammationes his febribus maxime solennes sunt, et symptoma satis periculosum constituant. Internas magis quam externas occupare solent partes. Facillime autem in his febribus nasci debere, ex §. ant. et §. VI. patet, vbi euicimus, sanguinem non solum a miasmate putrido, sed et ab sudoribus diffusioribus, coagulari, et in grumos congregari. Graues inde necessariae sunt obstructions, ob sanguinem grumosum vas a obturantem, hinc autem facillimae inflammations ob sanguinem ex urgente febre acuta commotum et a tergo prementem. Quod vero haec inflammations in his febribus a nulla alia, quam a recensita causa, nimirum malignitatis miasmate dependant, id probamus ex natura harum inflammationum, qua citissime ruunt in sphacelum atque gangraenam, hinc in putredinem. Quamvis enim permultae dentur aliae inflammations in aliis morbis occurrentes, quae pari modo per sphacelum terminantur atque gangraenam: multo tamen rarius hoc faciunt, neque vnuquam tam velociter, quam in febribus malignis contingit. Necessario igitur in casu nostro causa subesse debet, quae tam subitam & atrocem perpetrare possit putredinem, quae nulla alia, quam ipsum miasma putridum esse potest. Ex quibus omnibus conficimus, has inflammations esse signum sufficiens putridi, adeoque malignitatis.

§. XVII.

Quid de haemorrhagiis occurribus concludendum.

Nihil in febribus acutis continuis crebrius contingere solet, quam haemorrhagia in diuersis locis obvia. Aegri enim vel ex pectore, vel per aluum vrinamue, plerumque autem ex naribus egerunt sanguinem, vel

solito maiorem eius copiam ope menstrui fluxus, saepe praemature venientis, perdunt. Sunt autem hae haemorrhagiae, de quibus loquimur, nequaquam criticae, cum nec iusto tempore, nec sufficiente quantitate prorumpant. Operae pretium erit, si inquiremus, quaenam malignitatis nota inde erui possit. Omnis haemorrhagia consistit in effluxu sanguinis per vasa vel disrupta vel dilatata, qui effluxus vel per motum sanguinis aut qualitate aut quantitate sua peccantis, vel per vim externam perficitur. Nullam ex omnibus his causis, quae haemorrhagiam producere possint, in febris acutis deprehendere possumus. Nullum enim inuenimus pulsum magnum & plenum, nulla adest commotio, nulla plethora, nulla congestio sufficiens. Quamvis enim fieri possit, ut parvus debilisque impetus sanguinis in subiectis, quae vasa tenuiora atque debiliora habent, sufficiat ad disruptionem vasorum: hoc tamen assertionem hanc hic vetat, quod tales haemorrhagiae v. g. narium, plerumque cum lipothymis incedant, quae tamen semper debiliorem motum sanguinis, vel defectum eius in superioribus arguere iubent. Quod vero nulla alia causa, quam miasma putridum hic subsit, demonstrat ipse effusus sanguis tenuis, acris, ichorosus, saepe nigricans, putridus. Tantam autem in sanguine statuere nequimus acrimoniam atque putredinem, nisi assumentis miasma putridum, quod illam perficiat. Sequitur igitur, sanguinem hunc per haemorrhagiam emissum esse signum certum malignitatis. Quamvis vero certissimum sit, haemorrhagias in his febris plerumque ex arrofione a sanguine putrido oriri: fieri tamen potest, ut haemorrhagiae hic quoque fiant per diapedesin, vt veteres aiebant, vbi nimur globuli sanguinis ram parui & adeo dissoluti sunt, vt per partes vasorum ipsos transeant. Facile autem patet, tunc idem valere, quod in antecedentibus de sanguine maxime resoluto euicimus; haec nempe sym-promata quoque ad illa pertinere signa, quae certo praesentiam putridi, adeoque malignitatis comprobant. Per se quidem hae haemorrhagiae rarissime graue symptoma constituant, cum plerumque in tam parua contingent copia, vt vix paucae exstinent guttulae; accidit tamen interdum, praepritis in illis morbis, vbi vehementissima adest dissolutio humorum, vt in peste & febre Hungarica, vt hae haemorrhagiae tam efferae sint; vel tam crebro recurrent, vt saepius funestum post se trahant ententum. Idecirco quoque singularem semper merentur attentionem, quoniam purpuram plerumque atque pterechias vel comites, vel tamen pedissequos habent, nec non, quoniam mox in initio morbi occurrunt, vbi morbum malignum cognouisse tanti interest. Pro vsu practico enim perinde est, febrem malignam prorsus non cognouisse, quam illam demum sub finem illius cognoscere.

§. XVIII.

§. XVIII.

Quaenam porro malignitatis signa existant.

Iuuabit in hoc & quaedam adhuc malignitatis figura enarrare, quae certissimam putredinis notam exhibent. Saepissime nimirum contingere solet, ut miasma putridum per ipsam putredinem in hac vel illa parte tam manifesto se prodat, ut ratiocinio nullo ad eruendam eius praesentiam indigeamus; sed ope sensuum illud sufficienter cognoscere possimus. Saepius enim miasma illud per eruptionem exanthematum & macularum liuidarum, coerulearum, plumbearum, ex viridi nigrarum, ichorem fundentium se manifestat, vel eruptionem exanthematum antecedere solet graueolentia oris, putridusque illius & vrinae halitus. Fieri quoque persaepe solet, ut ruetus prorumpant foetidi, putridum redolentes, vel vomitus orientur putridi, aeruginosi, liudi, purulenti, nigri; vel vt faeces alii secedant intollerabilem, atque cadaverosum foetorem spargentes, vel cum atro sanguine permistae, virides, liuidae, nigraeque sint. Idem quoque demonstrabunt nigredo linguae & venularum oculi, nec non odor totius corporis abominabilis, qualem obseruauit *H V X H A M in tractatu de febribus* in muliere febre putrida laborante, quae quadraginta prius, quam ex vita excedebat, horis, detestandum edebat foetorem. Quae signa vero omnia certitudine praeviuntur ab illo, quod desumitur ex natura sanguinis ex corpore emissi. Quando enim ille ita comparatus est, quem iam describamus; certius nihil erui poterit. Quodsi nimirum vena aegrorum, quos iam febris maligna corripuit, pertundatur; sanguis exit floridus, qui tamen non ad instar sanguinis sani post aliquod tempus rubram, grauioremque suam partem ad fundum ponit, supernatante leuiori: sed iste sanguis massam constituit uniformem, fere coagulatam, nullam separationem producentem, obscuri, liuidique coloris. Quam constitutionem quidem per aliquod tempus retinet, mox tamen in citam absuntur putredinem. Quando autem iam ingrauescente morbo, vel in statu ipsius febris sanguinem elicimus; apparabit, eundem iam sub ipsa emissione putridum spirare odorem, suaque consistentia priuatum esse, mox quoque omnem perdere colorem, & in obscuram, flauam, putridamque abire saniem. *H V X H A M V S* quoque in quibusdam febribus putridis sanguinis globulos ita dissolutos inuenit, vt colore eis proprium prorsus in flauum mutauerint. In quibus morbis simul notauit vrinam maxime obscuram & nigricantem cum sedimento liuido, vel ad instar sedimenti ex potu Caffee nigro. Quae igitur phaenomena, si in sanguine aegri febre continua decumbentis occurrant, certissimum nobis signum praebebunt, ex quo malignitatem febris demonstrare possimus. Superuacaneum certe foret longa demum syllogismorum serie euincere, omnia

24 *Dissertatio inauguralis medica de praecipiis signis malignitatis &c.*

omnia in §. hoc recensita signa effectus esse putridorum, cum sensibus adeo comprehendendi possit putridum. Erunt igitur signa illa certa, & quidem certissima omnium ad cognoscendam malignitatem.

Optandum esset, ut exhibita in hoc §. signa mox in initio morbi semper in conspectum prodirent, cum sero nimis plerumque procedant. Quod autem signa ex sanguine in §. hoc defumta attinet; non inutile, vt arbitror, foret, eo tempore, quo malignae febres grassantur, quae in initio naturam suam dissimulare solent, mox in initio morbi sanguinem ex vena emissum non solum sollicite contemplari, sed & diuersa cum illo instituere tentamina. Nullus enim dubito, ex conuenientia tentaminum, ratiociniisque inde petitis certi quid de natura illius atque morbi erendum, malignitatemque iam in initio morbi cognoscendam esse.

§. XIX.

Quid ex omnibus hisce consequatur.

Per pauca quidem tantummodo in Dissertatione nostra exhibuimus malignitatis signa; sufficient tamen ad omnem febrem malignam cognoscendam. Nullam enim ex hoc ordine deprehendes febrem, in qua non unum vel alterum in antecedentibus recensitorum signorum adsit. Nequaquam inficias ire contendo, dari alia adhuc signa certa malignitatis; sed persuasum habeo, certissima a nobis exposita esse. Sic nullum dubium est, quin deliria, vigiliae, diarrhoeae, conuulsiones aliaque plura symptomata effectus putridi sint in febribus malignis; sed quis audebit probare, illa, quando febris tartummodo continua adest, nullumque aliud malignitatis signum, certo indicare malignitatem? cum a plurimis aliis caussis oriri possint, quam miasmate putrido. Hinc ea tantummodo exhibuimus signa, quorum singulorum certissima sit fides. Cui vero non sufficiet unum eorum, ille plura simul adhibeat; rarissime enim sit, ut unicum tantummodo eorum adsit. Nulli vero dubitamus, ex omnibus hisce, quae in Dissertatione nostra exposuimus, tandem concludi posse, dari modum, quo ope ratiocinii ex certis & indubitate principiis petiti, in omni casu febrem malignam cognoscere possumus. Hinc non audiendi erunt illi, qui strenuo in hac opinione persistunt, dari febres malignas, quae ante interitum aegri plane cognosci nequeant. Hi enim fere erunt, qui vim certissimorum ratiociniorum percipere nequeunt, nihilque credunt, quod non manu contrectare, vel pedibus calcare possunt. Sufficiat milhi cordatiori scripsisse lectori.

T A N T V M.



01 A 6530

ULB Halle
002 928 71X

3



Vol 18 Leaf 72



21



B.I.G.

Farbkarte #13

Black
White
3/Color

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



25.
ISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE
RAECIPVIS SIGNIS
LIGNITATIS
IN FEBRIBVS

CONSENTIENTE

ATIOSA FACVLTATE MEDICA

IN REGIA FRIDERICIANA

GRADV DOCTORIS

MORE MAIORVM CONSEQUENDO

DIE XX. SEPTEMBER. CICLO CC LXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DISPUTABIT

A V C T O R

JANNES HENRICVS SEYLER,

HEILBRONNA SVEVVS.

HALAE MAGDEBURGICAE, LITTERIS BEYERIANIS.

